

3

Inter hæc Ludovicus Rex auditâ Mediolani defectione Tramollum cum
equiratu in Italiam præmittit: peditum magnas, ex Gallis & Helvetiis copias



conscribi jubet: quibus Johannes Jacobus Trivultius, & Ligninus præfecti
magna cum celeritate Novariam proficiscuntur. Qui in oppido erant Hel-
vetij, non numerato ad diem dictum stipendio tumultuabantur. Accurrit
Ludovicus Princeps, pecuniam brevi adfuturam dicit: hortatur in officio
maneant, pristinae virtutis & militaris gloriae memores. Illi obstinatis ani-
mis, in fratres suos & propinquos arma se sumpturos negant: jamque aperte
eum suae gentis hominibus Gallo merentibus collocuti, nullis precibus,
nullâ obtestatione moveri possunt, uti ducem in tutum perducant. Helveti-
co itaque gregarij militis habitu testus, dum per Gallorum castra iter cum
reliquis facit, agnitus fuit. Sunt qui à milite proditum ferunt; qui domi à
suis dehinc capitali afficio sit affectus. Capti cum eo fuere Galeatius Sanse-
verinus Roberti filius, & alij nonnulli eodem habitu occultati. Lugdunum
missus Sfortia, non permisso videndi regis potestate, in Loccensem arcem
conditus, decimo post anno diem obiit. Ascanius quoque à Venetorum
tribunis captus, petente id Rege, inque, sua ditione captum asserente, & ipse
in Galliam missus est. Mediolanenses impetrata defectionis veniâ, Regi sese
dedit. Rebus tandem è voto constitutis Lugdunum rediit: lætus ob ux-
oris partum, quæ Claudiam Valefiam (erit ea postea Gallorum Regina) pepe-
rerat. Nummus prior liliis undique confusus est, symbolo Francorum gen-
tilicio: conspicitur in altero D. Ambrosius Mediolanensem Antistes: tertio Tri-
vultius illud stabilis maronis: